

libertati donaremus. Nos vero nobilis viri domini Meinheri burggravii Misnensis et aliorum ipsorum amicorum precibus inclinati Martinum et Hermanum fratrem eius et filios Johannis fratris praedictorum scilicet Martinum, Hermanum et Petrum de Pitsuicz ante dictos receptis decem marchis argenti cum liberis suis directe tantummodo descendentibus emancipamus et libertati donamus, omnibus aliis consanguineis et cognatis eorum in servos ecclesiae Misnensis et nostro capitulo reservatis. In cuius rei testimonium sigillis capituli nostri et nobilis viri domini Meinheri burggravii Misnensis iussimus et petivimus praesentem litteram roborari<sup>1)</sup>. Actum et datum anno domini MCCLXXXVI. Cal. Febr., praesentibus testibus infrascriptis domino<sup>2)</sup> Leone praeposito sanctae Aerae, domino<sup>2)</sup> Johanne de Wildenhan canonico regulari ibidem.

Fabricii ann. urb. Misn. p. 44. ed. Lips. 1609. — Köhler cod. dipl. Lus. I. Anh. S. 121 f.

1) *colorari* Fabr. u. Köhler. 2) *doctore* Fabr. u. Köhler.

### No. 286. 1286. 5. März.

*Markgraf Heinrich genehmigt den zwischen dem Domstift und dem Ritter Hermann von Rausslitz verabredeten Tausch gewisser ihnen zustehenden Güter in Otresbude und Clantswytz.*

Nos Heinricus dei gratia Misnensis et Orientalis marchio recognoscimus tenore praesentium profitentes, quod cum canonici et ecclesia Misnensis allodium in Otresbude<sup>a)</sup>, quod Gerdudis et filii eius iure hereditario possident, solvens unum talentum Vrybergensium denariorum annuatim in festo sancti Mychaelis purae proprietatis titulo possederint ab antiquo, et Hermannus de Ruzlitz miles in villa Clantswytz<sup>b)</sup> circa medium villae mansum unum a nobili viro Meynhero, burgravio Misnensi iure habuerit feodali, solventem annuatim in festo Michaelis viginti septem solidos denariorum Vrybergensium et quatuor pullos, insuper in festo pascae ovorum dimidiam sexagenam, quem mansum Martinus iure hereditario possidebat, memoratae partes, ex una ecclesia et Hermannus ex parte altera propter situm vel quod melius competentem permutationem dictorum bonorum ad invicem facere decreverant, consensu utrimque omnium quorum intererat accedente. Postulavit itaque a nobis praefatus burgravius Misnensis, ut proprietatem dicti mansi in Clantswytz dare dignaremur ecclesiae Misnensi, et in locum suum reciperemus proprietatem allodii memorati. Cuius petitioni rationabili acquiescentes, mansum saepe dictum cum omnibus suis iudiciis et iuribus ac utilitatibus, quae insunt vel inesse poterunt in futurum, damus et dedimus perpetuo iure proprietatis Misnensi ecclesiae possidendum. Testes huius sunt Fridericus magister coquinae, Hermannus de Tannenvelt milites, Nycholaus de Kottenrode, Adolphus et Heinricus notarii et quam plures alii fide digni. In cuius rei testimonium praesentem litteram dari fecimus Dresden anno dom. M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. LXXXVI<sup>o</sup>. III<sup>o</sup>. Nonas Martii nostri sigilli munimine roboratam.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem beschädigten Siegel des Markgrafen an einem Pergamentstreifen.

In kurzem Auszug Hasche Magazin V. S. 596.

a) Ostrau, Par. Jahna. b) Clanzschwitz, Par. Jahna.